

BURNDY
LIBRARY
Chartered in 1941

Ex Fabri Hydrographo Spagyrico.

Fons noster Chymicus fit mineralis dum semina terræ et aquæ
prævalent cæteris elementorum seminibus. Unde fons noster ponderosus
valde est, pinguis et viscosus ex pinguedine aquæ & terræ quæ præemiant
cæteris elementorum ~~ponderibus~~ pinguedinibus ex quibus solis terræ &
aquæ pinguedinibus fit pondus quod in fonte nostro experimur. Hydrogr.
p. 187

Gradus sunt septem coctionis mercurij nostri seu fontis Chymici in
metallis perficiendis. Primus gradus coctionis est dum argentum vivum
commune & vulgare ex illa coctione emergit. Secundus gradus dum
saturnus. tertius dum stannum. quartus dum Venus seu cuprum. quintus
dum ferrum. Sextus dum Luna. Septimus et ultimus dum sol seu
aurum inde componitur. – Qui fontem nostrum optime clausum conti-
nua coctione & perenni percoquunt vident materiam nostram primò
denigrari ibiqꝫ per longum tempus quinqꝫ fere per menses saturni
crudum humorem imitari, deinde continuata coctione albescere
subobscura quadam albedine quæ stanni naturam et conditionem vide-
tur imitari, deinde virescere et rubescere varijsqꝫ ornari coloribus
qui Veneris et Martis sequuntur essentiam & qualitates: tandem
vere et candidissime albescere quod Lunæ et argenti qualitates &
essentiam induat. Ib. p. 190. Mutatur autem materia nostra
mensibus quinqꝫ in ferrum, septem in argentum et novem in
aurum. Ib. p. 192.

Fons Chymicorum et argentum vivum vulgi multum differunt
ab invicem. 1 Fons noster omnia producit et vivificat. 2 Igneus &
calidus est. 3 Levissima destillatione convertitur in Spiritum et corpus
fixum. 4 Spiritus e fonte Chymicorum extractus igneus est et ponticus
penetrans et ita subtilis ut metalla dissolvat et dissoluta morti tradat
5 Fons noster solvit seipsum coagulat seipsum & perficit seipsum
nullo alio sibi addito. 6 Habet in ventre suo et in intimis sui
ipsius Sal fixum rubeum et album, imò totus ipse sal est & ex
salsuginosa spelunca scaturit & salit. 7 Solem et Lunam habet
in proxima potentia & sola simplici coctione reducuntur in actum
ultimum. 8 Ex fonte Chymicorum nullo alio sibi addito simplici
coctione fit elixir et vera philosophorum tinctura quæ metal-
la omnia perficit & reliqua cuncta naturalia. ~~Hæ~~ Ib. p. 198

Author laudat Tractatus omnes qui inseruntur Musæo Hermetico
Francofurti impresso, dicitqꝫ quod Hi omnes Tractatus aurei et doctissi-
mi ipsum ab erroribus eduxerunt & veram materiam Physicam & fontem secretum edo-
cuerunt. Ib. p. 199.

Fons Chemicorum ex duabus substantijs salis naturam habentibus ex
una tamen et eadem radice artis eliciatur necesse est ut verus ac legi-
timus Chymicorum Fons habeatur. Hæ duæ simul junctæ materiæ æquali
in pondere & in Alcohol reductæ & optime permixtæ et in Retortam
vitream positæ, levissimo igne per gradus aucto dant igneum spiritum qui
stillatur

stillatur in aquam perlimpidam quæ varijs nominibus a Philosophis insignitur & præcipue dicitur lac virginis, acetum acerrimum, aqua, Regina mulier candida, cælum, cauda, aqua vitæ, vultur, soror, mercurius, fons, sudor, nebula nigra et alijs multis nominibus; cum tamen unum quid sit, aqua puta destillata, ex his duabus substantijs unius radicis mineralis et metallicæ prosapiæ. Quæ quidem substantiæ dum spiritum illum effundunt in fundo Retortæ, remanent fixæ & permanentes velutsi mortuæ cum spiritum suum et vitam emiserint per destillationem: at vivificandæ et a mortuis resurgendæ reaffuso earum spiritu super ipsas materias quæ copia suimet spiritus dissolvitur levissimo igne in substantiam et liquorem sanguineum qui continuata coctione & graduata digestione ejus, in dies crescit & augetur color ~~ejus~~ ille sanguineus & pedetentim fit ex sanguineo omnino niger, qui continuata digestione crascessit et pinguescit.

Hæc eadem materia in fundo relicta antequam conjungatur suo spiritui multis etiam nominibus insignitur, Dicitur enim æs sive sulphur, corporis limatura optime calcinata, pars terrea et grossa, pars cerranda, Rex, corpus, cinis, Rubeus maritus, Draco, nigrum nigrius nigro, frater, carbo, sol & multis alijs nominibus. Ars autem separabat spiritum ab hoc corpore ut iterum purgata & puriora facta iterum connectantur & nunquam in posterum separentur & simul juncta permaneant & simul juncta perficiantur. Nam dum continuata digestione crassescunt & pinguescant tandem figuntur ambo ut nunquam amplius separentur etsi fixa & liquida permaneant. Et hoc signum ultimum est quo denotatur materia nostra. Primum signum est ut duplex sit nomine materia ejusdem & unius generis & radicis. Secundum ut materia sit mineralis & radicis metallicæ. Tertium ut materia sit fusionis facillimæ et habeat partes volatiles et fixas. Quartum ut partes volatiles & fixæ separatæ & simul junctæ putrefiant simul & in putrefactione perficiantur. Quintum ut dum coquuntur et putrescunt infinitis coloribus tingantur et imprimis nigro dein albo, ultimo rubro. Sextum ut hæc materia ubi alba est tingat metalla in argentum, ubi rubra in aurum. Et hæc sunt signa præcipua materiæ nostræ, quibus addi potest, quod spiritus ejus & pars volatilis sit acidissimi saporis et penetrantis & subtilis admodum substantiæ etsi ponticæ qualitatis. Ib. p. 200, 201.

Omnes fere Philosophi asserunt fontem Chymicorum seu Mercurium nostrum sine auro et argento perfici non posse. Sed aurum & argentum illud non est vulgare sed in ipsis fontis visceribus enatum, Estque pars fixa fontis alba et rubra, videlicet sal album et rubrum. Quæ duo unum et idem sunt quod diverso respectu dicuntur aurum et argentum. Sal enim illud cum sextum habeat perfectionis gradum et albedinem summam est conductum tunc temporis dicitur argentum. Cum verò idem ipsum sal septimum et ultimum ~~gradum attigerit~~ habet perfectionis gradum & ultimum coctionis suæ terminum attigerit, tunc dicitur aurum. Et sine auro isto et argento fons noster perfici non potest. Hæc metalla fonti nostro jungenda sunt, cum his metallis coquitur ac digeritur et perenni digestione perficitur, & ultimo cum auro vulgi

vulgi connectitur et permiscetur. Quadraginta sunt anni (A. C. 1639) quibus ego diu noctuque assidue semper laboravi: nihilominus tanti secreti compos non fui factus nisi post annum quinquagesimum ætatis meæ. Ars verbis et scriptis tradi non potest sine multis erroribus tum in materia præparanda, tum in igne adhibendo, tum in fornace construenda, tum in vase in quo percoquenda est materia, tum in pondere adhibendo. Ib. pag. 201, 202, 203

Quoniam duplex est materia, etsi sit ejusdem substantiæ et naturæ, pondus inibi erit disquirendum. In fonte enim nostro constituendo duplex datur naturalis materia. Una pro masculo habetur altera pro fœmina. Hæc ambo conjunguntur et ex conjunctione masculi hujus & puellæ virginis nascitur semen seu fons noster. Ibi tunc temporis in matrimonio celebrando pondus est considerandum. Ex qualicunque enim pondere non oritur semen seu fons prolificus sed ex certo ac determinato pondere. Itaque par pondus utriusque materiæ in nostro primo matrimonio celebrando est adhibendum. In secundo autem matrimonio dum pars volatilis parti fixæ & permanenti conjungitur pondus etiam est perpendendum. Nam pars fixa necesse est ut dissolvatur ac diluatur et aqua fiat a parte volatili. Ideo major esse debet in quantitate pars volatilis quam ipsa pars fixa. Aliqui chemicorum ponunt decem partes aquæ super unam corporis fixi alij septem alij quatuor. Modò pars fixa dissolvatur a parte volatili hoc ego existimo vere sufficere. Nam deinde per coctionem perennem & continuam coagulatur pars ~~fixa~~ volatilis a parte ~~volatili~~ fixa. Si sit maxima quantitas partis volatilis retardatur coagulatio unde his qui causam nesciunt contingit desperatio. Ego tamen non observavi pondus sed materias conjunxi et maxima quantitate partis volatilis partem fixam dissolvi & deinde in balneo Mariæ aut levissimo cinerum calore superfluam volatilis materiæ partem extraxi donec tenacem vidi materiam viscosam et valde nigram. Tunc vas repagulo satis firmo obsignavi et tempori ad coquendum tradidi, benedixitque Deus & incrementum dedit. Est etiam pondus observandum in multiplicatione. Nam opus album et rubrum perpotandum est et irrigandum suo spiritu seu fonte nostro crudo, sed puro et septies destillato. Ibi pondus est observandum ne Elixir submergatur. Parcè admodum irrigandum ut materia cooperiatur tantùm gladij spissitudine: quod multoties est operandum donec lapis satis biberit & perfectissimæ sit albedinis & rubedinis completæ, et facillimæ fusionis quæ illi contigit ex copia humidi sui perfecte cocti et fixi facti. — Naturæ pondus est ut corpus bibat quantum potest retinere & spiritum reliquum in alios usus rejiciat. Ib. p. 203, 204.

Ex Palladio Spagyrico.

Mercurius Philosophorum omnia alterat et transmutat in sui substantiam, quæ si ultimò perfecta est omnia perficit si vero cruda & incocta, ejus ingressu omnia recrudescunt et in ipsius substantiam mutantur. Faber Pallad. Spagyr. p. 831.

Author decem annos operatus est circa materias erroneas dein tredecim annos

annos circa materiam veram antequam scriberet Palladium A.C. 1624 (Pallad. p. 882,
793) Hujus materiæ mineralis libras centum ad albedinem igne lento non
non ad citrinum aut rubeum igne nimis forti calcinatam ut humiditas super
flua exhalatur, ponit in Retortam luto munitam et igni flammæ fortissimo destil
lat. Caput mortuum (nigri coloris aut purpurei obscuri si materia vehemen
tem & convenientem passa sit ignem aut rubei si mediocrem) exponit aeri
frigido diu noctuqꝫ per dies aliquot, dein aqua communi pluviali salem
extrahit filtrat et exiccat in pulverem albissimum, iterumqꝫ destillat ut
prius igne fortissimo. Spiritus autem copiosiores prodeunt destillatione secun
da quam prima, ac tertia quam secunda & quarta quam tertia & sic
deinceps donec deficiat fere tota materia & in spiritum convertatur
quia spiritu attracto dum privatur toties, magis ac magis exiccatur et
arescit (Pallad. p. 777.) Ex minera autem nostra libris fere centum
vix elicitur libra una spiritus puri qui anima et oleum et tinctura
dicitur Philosophorum; et libra altera fixæ substantiæ seu salis fixi, ex qua ~~(Jb. p. 858)~~
spiritus per multas destillationes prodijt. Jb. p. 858. Habeas autem volati
lis mineralium partis copiam maximam ab omni inquinamento liberã
quod septena destillatione obtinebis, & quod gustu visu et tactu percipi
es. Gustu primo dulci acri non secus ac si esset liquor malorum grana
torum subdulcium, acriori tamen multo est. Inest præter dulcedinem &
aceritudinem illam maximam violentia quædam ignea in liquore illo ut
acetum sulphuris per campanam factum et rectificatum esse videatur
& quinta vini essentia multum temporis circulata, & spiritu sulphuris
impraegnata. Quoad visum, est liquor perlimpidus tenacis et glutino-
sæ substantiæ, syrupi crassissimi persimilis aut olei. Per tactum autem
pondus ejus gravissimum percipimus, metallo siquidem dissoluto & in-
aquam redacto assimilatur. Pars altera quæ fixa est, ubi satis
depuratur est ponderis gravissimi tanquam metallum perfectissimum,
dissolvitur in aqua sua pedetentim ~~[illegible]~~ tenuissimo calore sine omni stri-
dore veluti glacies in aqua calida aut butyrum in oleo calido, & in hac
dissolutione nullas deponit fæces sed in gluten vel gummi quoddam co-
loris lympidissimi convertitur. Hæ duæ partes fixa et volatilis justo pondere
conjunguntur (~~[illegible]~~ viz.t tres partes aquæ vel plures usqꝫ ad duodecim cum
una parte terræ) & coquuntur usqꝫ ad complementum. Jb. p. 938, 939.

